

Band VIII., Nr. 2921, Seite 196

*Der Schorndorfer Bürger Walter Wurm schenkt der Marienkirche in
Gotteszell seinen Garten.*

Ohne Ortsangabe, 1280. Ohne Tagesangabe.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. Ne volubilitate temporis labatur a memoria posteris, ego Walterus dictus Vermis civis in Scordorf universis presentis pagine lectoribus seu auditoribus declaro et declarando protestor, quod, quia ego votum domino voveram ad remotas partes videlicet Aquis pro remissione meorum peccaminum transeundi et ab eodem voto a confessore meo fratre Andrea de ordine fratrum Predicatorum sum penitus absolutus, ad honorem dei omnipotentis pro remedio anime mee ac parentum meorum de consensu uxoris mee secundum consilium confessoris mei iam memorati pro redemptione voti hortum meum, qui est aput balneum situs, ecclesie sancte Marie monasterii Celle Dei contuli hac pactione firmiter adiecta, quod sacrista presentis temporis et post obitum meum in eodem officio future redivit horti memorati pro indigentibus prelibati officii ad honorem beate virginis expendere tenebuntur, ita dumtaxat, quod nemini proventus iam sepedicti horti ad alios usus quam ad servitium dei pertinentes expendere licebit. Preterea me ipsum obligo ad censum unius solidi Hallensium de horto predicto annuatim in festo beati Martini ad predictum locum quamdiu vixero persolvendum. Post obitum autem meum et uxoris mee hortum iure et titulo proprietatis libere possidebunt. Ut autem supraposita rata permaneant, presens pagina est conscripta anno domini MCCLXXX. et sigilli conventus, quia proprium non habui, munimine roborata cum annotatione testium, scilicet confessoris mei Andree et fratris Cūnradi de Haingen venerabilium patrum.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

Liniert. Bücherschrift. Siegel rund, 40 mm., Maria mit dem Christuskind thronend, vor ihr eine knieende Beterin, darüber ein Engel mit Rauchfass; Aufschrift zwischen den Figuren: AVE MARIA; Umschrift: + S. CONVENTVS . SOROR^{um} . DE . CELLA . DEI.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 177 S U 1692

Überlieferung und Textkritik:

Original mit neuerer Papierkopie.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Ortsindex:

Gotteszell Aufgegangen (22663)

Gotteszell, aufgegr. in Schwäbisch Gmünd AA

Hayingen Wohnplatz (15868)

Hayingen, RT

Schorndorf Wohnplatz (1569)

Schorndorf, WN